

V C  
4896





ARA HONORIS  
ET OBSEQVII,

QVAM

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

JOHANNI-GEORGIO II.

SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ AC MON-  
TIUM DUCI, S. ROM. IMPERII ARCHIMAR-  
SCHALLO ET ELECTORI, EJUSDEMQUE REGNI  
in locis, ubi Jus Saxonicum viget, & ad Vi-  
cariatum pertinentib<sup>9</sup>, p. t. VICARIO, Landgravio Thuringiæ,  
Marchioni Misniæ, nec non Superioris & Inferioris Lusatia,  
Burggravio Magdeburgensi, Comiti in Marca & Ra-  
vensberg, Domino in Ravenstein,  
DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

Cum in Urbibus ditionis suæ Homagium  
acciperet,

*communis PATRIÆ nomine  
posuit*

Serenitatis Suæ devotiss. & fideliss.

SERVUS & MEDICUS

JOH. NESTERUS CURIA-VARISCUS D.

Poëta Laur. Matthia-Cæs.

---

D R E S D Æ,  
GRAMMATE MONTANO.



**R**Es vetus est; nondumq; dies eluximus atros,  
Usq; adeò in cœlis adamantina Sanctio facta est:  
Vix etenim dignâ maectavit laude sepulchrum  
Exsequialis honos, manibus vix Manibus æquis  
ENSIFERIPATRIS mea Musa litaverat, ævo

invidiosa necis quem vis invidit, & ecce!  
Cui Probitas oculos finxit, Clementia mentem,  
Summus apex rerum, CÆSAR ter-maximus, orbis  
Gloria Romani, Parcarum lege sequestrâ,  
orboq; Imperio post se, populisq; relictis,  
Hunc sequitur, cui tu nunc † Optio cedis; & ambo  
nos funestarunt, & publica gaudia tristi  
hactenùs involvère peplo. Sed oportet haberi  
decretum cœleste ratum; patienter oportet  
Qui terram colimus, mortalia ferre, nec ullâ  
re perturbari, quam non vitare queamus:  
Sic Superis visum est; Sic scilicet omnia justis  
respondere suo debebant ordine fati,  
& Patriæ votis. Etenim tibi Cæsaris Enses  
debeant, Princeps-Elector, JANE-GEORGI,  
Nimirum posses ut habere hos Cæsaris Enses,  
Et simul Imperii postindè Vicarius esses,  
Sicq; tuo PATRI per cuncta simillimus esses,  
ter-sancto PATRI, poterat qui dignus haberi  
Cæsareas tractare vices pro Cæsare trino.

Nunc, auctore DEO, luctus se mutat in omnem  
lætitiæ faciem, nunc Lucifer ecce! secundos  
huc maturat equos, & júbila festa redonat;  
Nuper enim postquam generosus ternio FRATRUM  
juxit fraternas tibi, dux celsissime, dextras,  
Atq; paternarum facta est divisio rerum,  
(ô Pax vos, vestrosq;, & vestra coronet in ævum,  
Quorum consilio Res hæc transacta fideli,  
Et quorum auspiciis Pax conservata secundis!)  
Et postquam Ordinibus Regni dimissio facta est,  
Nunc, Tibi quod felix, faustumq;, quod utile nobis!  
pergis obire vices, patriamq; extendete curam,  
Et Patriæ magnum TE præsentare Parentem,  
Dum tu, quod leges & consuetudo jubebant,  
jam Regni sceptrâ instauras, humileisque patrito

† Optiones in  
militiâ erant,  
quos sibi opta-  
rent Centurio-  
nes, tanquam  
adjutores re-  
rum gerenda-  
rum. Hinc  
Optio eum si-  
gnificat, qui  
absentis ado-  
ptatus Vica-  
rius universa  
curat, Veget.

jure

Jure Clientelas in libera vincula cogis;  
 Cor micat obsequio cunctis, & pectore toto,  
 dumq; tuū imperium agnoscunt, gratantur honorē;  
 Quodq; tuæ DRESDÆ fecerunt moenia nuper,  
 Hoc reliquæ posthac præstabunt gnaviter Urbes,  
 Nempe tuis sceptris addictæ, & legibus Urbes;  
 En! Mysii regina soli, tua LIPSIA se offert  
 magnificis gravida emporiis, quæ Palladis amplas  
 Mercuriiq; simul docta est extrudere merceis;  
 LEUCORIS hanc sequitur, Clariis habitata colonis,  
 Phœbus ubi pater, atque Aganippidos ordo novemplex;  
 Claraq; TORGA venit, quæq; Arx splendore sub auras  
 surgit olorino, prisca domus apta Dynastis;  
 Et FREIBERGA venit, niveis opulenta metallis,  
 quæq; tui PATRIS Freiberga superba sepulchro est;  
 CHEMNITIUMQVE, CYCNEAQVE, quæq; è paupere venâ  
 spem fodiunt hodiè ANNAEBERGA, SNEBERGAQVE opimam,  
 Et quæ præterea sunt Misnidos oppida terræ;  
 GÖRLITIUMQVE, BUDISSINUM, ZITTAVIA, LAUBA,  
 Quasq; alias vicina Lusatia continet Urbeis;  
 Omnes hæ læto adsurgunt Tibi cordis ovatu,  
 Et gaudent illæ esse tuæ, certantq; favorem  
 Principis omnimodè votis, donisq; mereri,  
 quæque suis: en! occurrunt, & limina pandunt,  
 Ingredere, ingredere, expectat Te magna, minorq;ue  
 pompa Clientelæ, spississima turba coronæ;  
 Exsere Te paulum, Princeps, oculoq; sereno  
 densum hominum metire gregem, lætumq; theatrū,  
 Heic gens Nobilium, grex illic Civium, & istic  
 Terræ simplicitas, & paupera ruris egestas;  
 Obsequiosa satis pietas spectata tuorum est,  
 Omnis adest ætas, veniunt juvenesq;ue, senesq;ue,  
 Omnibus idem animus, par est concordia eundi,  
 Et cunctis eadem parendi prompta voluntas,  
 Quilibet & gestit primorum primus haberi;  
 Hos ergò mihi venienteis suscipe vultu,  
 nempe tuo, Dux magne, tuos & protege Cives,  
 Scilicet in fonteis straba quando Calumnia pungit,  
 Quæ pestis multis hodiè dominatur in aulis,  
 Quam cane tu pejus, quam pejus & aspide vites;

Quin clemens horum neglectos erige natos,  
Et cura, ut digni post promoveantur, & ut sint,  
Quos juvet ingenuas didicisse fideliter arteis,  
Qui Sacra, qui Leges, qui cætera munia curent,  
Ut ferat hinc res priva suum, & Res-publica fructum.

Plebs hodiè stupet in titulis, & imagine pictâ,  
Quumq; videt nostris mori quid moris in oris,  
Virtuti villam præferri, atque artibus aurum,  
Nec nisi Nobilium sustolli germina, natos,  
Spem simul & curam de gnatis abjicit omnem.  
Est ita, quod fateor, claris natalibus ortum  
ducere, Majorum censerî sanguine longo,  
Et Patris, & Proavi clypeos ostendere pictos,  
momentum splendoris habet, magnique putatur;  
Sed qui iudicii modulîs, ac pondere recto  
utitur, & veri speciem dignoverit intus,  
Quique cupit verum liquido sermone fateri,  
Valdius oblectant, meliusque morantur, honestis  
si quis avis ortus, belloque domique probatus;  
Si dives, reliquis Fortunæ ac dotibus auctus,  
ingenii quoque divitias, & Palladis arteis  
adjicit ad cumulum, & ceu lumen lumini eorum  
accendit majus: Nam major semper in illo est  
gloria, quod fuerit propriâ virtute paratum.

Nobilitant homines aut Mars, aut Phœbus, utrumque  
est virtutis opus, nec lumen clarius ullum est;  
Atque hic, qui genium virtuti destinat uni,  
Atque animæ florem, succumque ætatis, & omneis  
curis-non-curis doctrinæ mancipat annos,  
Militiæque, domique probè sua munia curat,  
Nobilis hic veri numeros, partesque tuetur.  
Hac virtute fuit notus SCHÖNBERGIUS, illud  
nobile Nobilium speculum SCHÖNBERGIUS, is, qui  
consilijs dandis animo sic vidit acutum,  
Non magis ut serpens oculis Epidaurius olim;  
Cujus ego faciem strictâ gravitate serenam  
obstupui, tum iudicij miratus acumen;  
Hoc titulo quoque nota fuit KÖTERITZIA nuper,  
Nota EINSIEDELIA est, nota & MILITIZIA virtus;  
Et, quem consilijs experta fidelibus aula est,

METZ-

METZSCHIADÆ, quem laus meritorum æquavit olympo;  
 Hôcque hodiè est, Musis obstetricantibus auras  
 hausit quæ primùm, post matris ad ubera Svadæ  
 Pieriis educta favis, FRISENIA proles,  
 Quos doctrina Viros haud proletaria clarat,  
 Et PATRIS, \* Nautis senioris, cana senectus  
 (Hanc cui propterea Themis aurea foenerat ultrò  
 luminis usuram, vigilis stipendia curæ, )  
 primitiis agitare locis, & ad ardua rerum  
 Se vivente trahi cernit, quæ gratia vitæ  
 lætificare senes poterat jam ferior annos;  
 Et quæ prætereà nunc sunt, quæ dextra Promethei  
 finxit pol' longè de nobiliore metallo,  
 Caraque Nobilium doctorum nomina nobis,  
 Et pauci fortes generosi Martis alumni,  
 SAXONIS aula quibus, & Misnia nostra superbit;  
 Quos Virtus, artesque, citis & Fama quadrigis  
 celsius evectos ad longa sedilia rerum,  
 portat ob ora virum, meritoque insertat Honori,  
 In quibus exemplar cunctis imitabile morum  
 Nobilibus lucet: dementat opinio multos  
 ast hodiè nostros Equites, vix scribere doctos,  
 Quos nec terna trias, nec simplex triga Sororum  
 per septemgeminas duxerunt primitus arteis;  
 Queis non maturo firmatum pectus ab ævo;  
 Si fors matre domi, vix & custode relicto,  
 Posthabitis (solæ via quæ prætorica, ) Musis,  
 vel semel externas, fatis auctoribus, oras  
 sectati redeant, & quid tinnire † Latinum,  
 cum Gallové queant, (adeò hos coquit æstus honorum,  
 Aut amor ille sui titillat, & improbus illos  
 armat in hunc fastum, ) mox hi molimina rerum  
 ardua sectentur, mox Consilantium honores  
 affectent, nullâ Themidos de parte probati,  
 Quæ se Processus, & Jurisdictio formant,  
 Nec penetrent secreta Fori Civilis, & urnæ,  
 Et quibus hæc longè majoribus orgia constant;  
 Qui tandem officijs admissi, turpiter audent  
 publica privatis postponere, sacra profanis;  
 Cujus post tanto rerum in discrimine facti

\* NAUTES  
 Consiliarius  
 Aeneæ Troja-  
 nus, quem &  
 ab ætate, & à  
 prudentia, &  
 à religione cõ-  
 mendat Virg.  
 5. Æneid.

† b. e. Italicū.  
 Latium enim  
 ea pars Italia  
 est, ubi sunt  
 Tyberina ostia,  
 & Roma caput  
 terra.

an pudeat, pigeatvè magis, non dicere promptum est.

Sunt etiam, verùm plerunque effrena Juventus,

Si quocunque modo nôrint pendere caballo,

Queis satis est, vinum qui percolare parati,

Nocturno & certare mero, putère diurno,

Feudaque cum pagis, sua qui patrimonia fugunt;

Quique saburrato bacchantur ventre per urbeis,

Perque Sacramenta, ipsa cruentaque vulnera **CHRISTI**

qui jurant impunè, (quasi hæc pretiosa cruoris  
purpura sacrilegis vænum his prostacket, ) & heic quis

dixerit, infrenæ qui quotvè cupidinis æstus

in brevia & fyrtes hæc impia pectora cogant?

Nil nisi de vino, de scortis, litibus, & quæ

sunt aliæ plures, animique ignobilis artes;

Jures, non homines, sed bucera secula, tauros

hos generasse viros, quos sanguis, imago nec ulla

unquam doctrinæ aut virtutis honestat, apludam

Nobilium, quos excrementaque vilia dicas,

Quorû hodiè plures, quàm sint hoc tempore muscæ;

Sed tu Nobilium præstabilis ordo virorum,

Cui mens ingenui candoris, & oris alumna est,

Heic si liberiùs calidæ peccata Juventæ

invectus fuerim fortassis, mentibus æquis

accipies, & me verum (nisi livida tabes

abstrahat invidiæ,) cecinisse fateberis ipse.

At si cui civi generis proavita negatur

Nobilitas, artes pro Nobilitate fat illis

His pectus munit, forsanque & lætius, ac si

mancipiis locuples ac vectigalibus esset,

ingenteisque auri cumulos, atque æris haberet:

Plebejæ multorum animæ, plebeja fuerunt

nomina, plebejis & avis, atavisque creati,

Quos ars Nobilium tabulis adscripsit, & horum

natosque, & natos natorum Insignibus auxit,

Qui clypeos gestant, titulis atque ære nitentis,

Concilioque Ducum admissi moderamina rerum

majestatem pari capiunt, quos Pallas in omnem

consilii faciem, quæ res, quæ tempora, format:

Unica nobilitat sic multos scilicet, atque

alta petit generosa bonæ vis indita menti,

Et



Et flammâs imitatur, & urget in ardua Virtus.

Hos ergo Princeps-Elector, JANE-GEORGI,  
Quos sua nobilitat virtus, quos candida morum  
gratia, quos solers doctrinæ gloria caros  
& summis imisq; dedit, post suscipe Cives;  
Sic Proavumq; imitare tuum, quem nomine, req;  
fecerat \* AUGUSTUM toti Sapia munda,  
Plus qui homines longæ, quam curtæ vestis amabat  
Et Druidas Equiti anteferebat; nempe sciebat,  
Quâ sua sint Marti, sua quâ commercia Phœbo.  
Iliacæ Pallas Trojæ dum celsa tenebat  
mœnia, res Priami steterunt constanter, & ipsa  
Troja invicta fuit; sublatâ at Pallade, & ipso  
Palladio everso Danaum vi, cuncta subindè  
in pejus ruere, & retrò sublapsa referri,  
Omnis spes fluere incepit, nil Hectoris arma,  
Nil Anchisiadæ fortes valere sarisæ:  
Hinc quæ, huic nempe bono, Pietas antiqua tuorum  
Majorum instituit tria Formatoria pubi,  
Heic ubi salvificâ teneri potantur alumni  
Israelis aquâ, quam derivare per amplos  
siphonum tubulos puris è fontibus Hebri,  
Et Graji, & Latii, diversa in corda laborant,  
His qui dixerunt sua sacramenta palæstris;  
Quasq; Academias posuit, tentoria Musis,  
Quâq; Professores animi cum oracula linguas  
expoliunt, formantq; suis è legibus, & tum  
ingenuas agitant cycli sempiternis artibus,  
Et simul exercent sacrum sophos atque profanum;  
Has Academias, hæc Formatoria pubis  
porrò conserves nobis, dux inclite, & istud  
nobile depositum Sacrosancti dogmatis unâ.  
Vos verò Patres, nostri quos provida virtus  
SAXONIS hoc jussit, lustretis Tempora, Scholasq;  
Vosq; Professores, queis tradita cura Juventæ est,  
Vos inquam, omnes, quo soliti studioq; , fideq;  
ad Disciplinam monitis urgete Juventam,  
Et quâ quisque potest, illam stabilite minantem  
cominùs interitum, quum pridem passa ruinam;  
Hoc nisi feceritis, de Palladis artibus actum est,

\* i. e. sacrum  
& majestatis  
plenum; ut ri-  
diculus sit er-  
ror legulejo-  
rû nostri tem-  
poris, qui ab  
augendo impe-  
rio Augustum  
Imp. Rom. di-  
ctum affirmât,  
Nic. Perottus  
in cornucop.

Et,

FK 76 4896  
Et, quod cardo, caputq; rei heic, de moribus actum est.  
Summe Pater, Soboles Patris, Spirabile Numen,  
In trino sanctum qui Numine Numen, & unum es,  
Sit tibi cura, precor, vigilans de SAXONE nostro;  
Illustra mentem divina Numinis aurâ;  
Suggere opem nervis, & membris suffice vireis,  
Ut longos diuturnus eat cum pace per annos;  
CONIVGE cum dulci, simul & cum PROLE decorâ  
florentem serva RUTÆ vivacis honorem!  
Fac, pia sint FRATRUM concordia corda, nec ullo  
diffiliant livore, nec ambitionis ab ullis  
adflentur ventis: Pietas nutricula Regni  
una, secunda cluit Concordia; nempe bimembri  
ex hoc fonte fluit, quod svave, quod utile nobis,  
Et quod honestū est: has nobis, pie CHRISTE, reserva!  
Et quia tempus adest, Francorum in mœnibus Urbis  
quo decet Imperio summo jurata Latino  
Numina Primatum sapiente coire senatu,  
O fac, FERDNANDO defuncto Cæsare, talem  
unanimi assensu, voto concorde, serenâ  
fronte legant Regem, & trabeis fulgentibus ornent,  
Imponantq; comis diadema, auroq; coronam,  
Cui DEUS ipse suum sine vi, sine sanguine fuso  
annuit Imperium, placidâque in sede reponit;  
Qui sit supplicibus facilis, trux sœntibus, & qui  
Iustitiæ vindex, Pietatis amator, & Æqui;  
Cæsare quo vigeant Heliconia numina, Musæ,  
Nostraque Relligio, quæ depurata Luthero est,  
heic & ubiq; suos habeat tutissima nidos;  
Cujus sub sceptris, Aquilæque biverticis alis  
mollia tranquillæ degamus tempora vitæ.

Hoc ipse, hoc mecum votis & in omnibus unum  
turba Clientelæ jurata precatur, & altè  
ingeminat: Vivat JAN-SAXO-GEORGIUS ille!  
O vivat JAN-SAXO-GEORGIUS ille Secundus,  
Romani Elector, lectusque Vicarius Orbis!  
Vivat! RVTÆ & stirps, & PATRIA nostra sub illo!



1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47  
48  
49  
50  
51  
52  
53  
54  
55  
56  
57  
58  
59  
60  
61  
62  
63  
64  
65  
66  
67  
68  
69  
70  
71  
72  
73  
74  
75  
76  
77  
78  
79  
80  
81  
82  
83  
84  
85  
86  
87  
88  
89  
90  
91  
92  
93  
94  
95  
96  
97  
98  
99  
100

ULB Halle 3  
004 807 847  


WD 77





397. h. 5, 12.

Vc  
4896

# ARA HONORIS

SERENISSIMO  
PRINCIPALI  
**JOHAN**  
SAXONIAE  
TIUM DUCI  
SCHALLO ET  
in locis, ubi  
cariatum pertinet  
Marchioni Misn  
Burggravio

TISSIMO  
MINO  
**GIO II.**  
E AC MON  
ARCHIMAR-  
MQVE REGNI  
et, & ad Vi-  
gravio Thuringia,  
inferioris Lusatia,  
Marca & Ra-  
stein,

Cum in U

Homagium

Sereni

& fideliss.

JOH. N

RISCUS D.

